(3) Exaltamur, *sive hîc, sive tamen plenariè illic*; *asſimilandi tandem angelis, imo Salvatori ipſi*: Phil. III, 21. Apoc. III, 21.

(4) Cognoſcere nomen Dei, *eſt, DEum juxta revelatum verbum decenter colere, rejectis cunctis nominibus aliis.*

USUS E VERSU XV.

(1) Invocatio *eſt maxima cultus divini pars; de quâ in L, de* Precibus & I. IIq; præcepti.

(2) Exauditio *ſequitur pro paternâ Dei ſapientiâ infallibiliter, modò ſecundum Dei voluntatem facta ſit petitio*: 1. Joh. V, 14.

(3) DEus nobiſcum, ſtate! Immanuel; Jeſ. XLIII, 2. XLI, 10. *Non deſerimur à Deô in carcere, in morbis contagioſis, obſidionibus, in ventre balænæ, imò nec in morte ipsâ.*

(4) Glorificamur, *vel hîc, vel illic.* V. 14.

USUS E VERSU XVI.

(1) Longævitas *donum Dei nobile ac rarum.*

(2) *Sufficit, ſi moriamur* ſaturi dierum: Gen. XXV, 8. *Id quod juvenibus quandoque piis contingit præ deteritis ſtolidis*; Jeſ. LXV, 20. Sap. IV, 1.

(3) *Longævitas vera concedetur piis in beatitudine æternâ.*

(4) *In* viſione *maximam partem conſiſtet noſtra felicitas: illic demum &* Salutem & Salvatorem *intuebimur plenisſimè* 1. Joh. III, 2.

PSALMI XCII. DISPOSITIO.

Malus, bulla. Juſtus, palma.

EST hîc I. Laus Dei; quæ (1) commendatur; *bonum eſt v. 2.* (2) deſcribitur ratione actuum: ſimul & objectorum: (a) *confiteri Domino*: (b) *pſallere de nomine Altisſimi*: ibid. (c) *prædicare* tam *gratiam*, quam *veritatem Dei & manè & veſperi*: *v. 3.* (d) *adhibitis etiam inſtrumentis muſicis*: *v. 4.* (e) *exhilarari operibus DEi*: *v. 5.* (f) *cantare facta manuum ejus*: ibid. quæ ipſa *facta ac cogitata Dei* per exclamationem exaggerantur *v. 6.* tanquam *ſtultis ſtupidisque* mundi mancipiis incomprehenſibilia: *v. 7.*

II. Impiorum (1) ſtatus: *florent inſtar graminis*: (2) exitus: florent *ad perniciem propriam ac ſempiternam*: v. 8.

III. Dei erga hoſtes ſevera majeſtas: (1) *tu Domine in excelsô, in ſeculum usque manes*: *v. 9.* (2) *hoſtes tuos perdis*: *v. 10.*

IV. Dei erga fideles benignitas: (a) ſpeciatim: (1) *exaltas cornu meum tanquam monocerotis*: *v. 11.* (2) *ungor oleo recente*: ibid. (3) *gratia de meis hoſtibus percipio*: *v. 12.* (b) Generatim: (1) *Juſtus inſtar palmæ cedrique viget*: *v. 13.* & quidem *in Domo Domini*: *v. 14.* (2) *fœcundi erunt tales floridique in ſenio*: *v. 15.* ad *deprædicandam Dei ſanctitatem inculpabilem*: *v. 16.*

PSALMUS XCII.

EXPLICATIO VERSUS I.

מזמור *Pſalmus cantici*:] i. e. pſalmus egregius, inſtrumentali muſicâ adhibitâ ſolenniter decantandus, &c. Vide ſimilem inſcriptionem, *Pſalm. LXVII. & LXVIII.*

השבת *in diem ſabbathi*:) ſiquidem, uti *Lud. de Dieu h. l.* annotat, ſinguli ſeptimanæ dies deſtinatos ſuos habebant pſalmos, id quod in *Talmud.* lib. קרשים annotatur: cantica, quæ Levitæ olim canebant in ſanctuariô, hæc ſunt: primô die *Pſalm. XXIV.* ſecundo, *Pſal. XLVIII.* tertiô, *Pſal. LXXXII.* quartô, *CIVum*: quintô, *LXXXIum*: ſextô, *XCIIIum*, ſeptimô, *XCIIum*: cujus initium: *pſalmus cantici in diem ſabbathi*, q. d. in futurum ſeculum, quod totum erit ſabbathum. Authorem Pſalmi hujus Rabbini, teſte *Kimchio in præf. Pſalmorum*, nec non *Midraſch. h. l.* ſtatuunt Adamum, qui cum creatus eſſet in paraſceve ſabbathi, poſtridiè manè hunc pſalmum dixerit. Atque h. m. Chaldæus: *canticum, quod dixit homo primus* אֲרֵם קַדְמָאָה עַל יוֹמָא דְשַׁבְּתָא *ſuper* vel *de die ſabbathi*. Vide plura Judaica apud *Hornb.* contra Jud. pag. 511. ſeq. verum cum fabuloſa hæc fundamentô careant, relinquimus inventoribus ſuis Rabbinis.

EXPLICATIO VERSUS II.

טוב *bonum*:] (eſt;) h. e. dignum, honorificum, jucundum ſummeque ſalutare eſt homini, occupari in laudibus divinis. Hujusmodi enim complexus tam congruentiæ cum divinô beneplacitô, quam oblectationum humanarum, vel congruentiæ cum noſtris affectibus ac voluntate repurgatis, optimè hîc habet locum. Ita ferè vox טוב ſumitur *Pſal. XXXVII, 16.* טוב *melius* (honeſtius, jucundius, ſalubrius) eſt parum juſti &c. *Pſalm. LIV, 8.* celebrabo nomen tuum, quia טוב: *Pſal. LXXXIV, 11.* טוב dies in atriis tuis &c. Aliqui, ut Kimchi, Aben Eſra in maſculinô accipiunt h. m. *bonus eſt* (dies ſabbathi) *ad celebrandum.* Verum infrequens non eſt, maſculinum neutralem habere ſignificatum, ut *Geneſ. II, 18.* non טוב, hominem eſſe ſolum: *Prov. XXII, 1.* נעים jucundum eſt, &c. Luth. das iſt ein köſtlich Ding/ (prius: gut.) LXX. ἀγαθὸν, Vulg. *bonum.*

להודות *celebrare Dominum*:] palàm ſcil. debitaque cum reverentiâ ac honore recenſere divina tum beneficia, tum opera alia admiranda &c. Radix ſiquidem eſt יָדָה palam & quaſi יָד *manu* projecit, ſparſit in publicum, &c. Ineptè hinc convelli confeſſionem eccleſiaſticam coram miniſtrô Dei à Weigeliô, oſtendit B. Gerh. *p. 2. diſp. acad. 8. th. 8. p. 550. ſeq.*

ולזמר *& pſallere*:] lætô ſcil. corde linguâque cantante: vide *Pſal. VII, 18. IX, 3. XVIII, 50. LXI, 9. LXVI, 4. LXVIII, 9.* ubi eadem, quæ h. l. phraſis.

EXPLICATIO VERSUS III.

להגיד *indicare palam*:] ſcilic. bonum eſt, dependent enim hæc à præcedente טוב *bonum*, quod reperi debet.

כבקר